

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843,
enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von
Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.

0239

0237

0243

0233

0248

0228

0288

0188

0338

0138

0738

Ende

Anfang

227

statim occideretur et ita se ipsum interimeret sine fructu. Sed contra multi fidei zelatores ad tempa Sarracenorum ingressi sunt et praedicaverunt cum fructu, nec tamen occisi fuerunt. Ut sanctus Vincentius Ordinis Praedicatorum, qui multa millia Sarracenorum ad fidem convertit. Ideo non sequitur: tu dicis vel facis, quo ab aliis occideris, ergo te ipsum occidis, nam et sancti fidem catholicam confitebantur, cum tamen ex tali professione se a tyrannis occidendos minime dubitarent, quos ut Dei martyres colimus. Sic legimus fecisse fratrem Levinum Ordinis Minorum, qui Sarracenis congregatis in una muschea in illam ingressus est zelo animarum accensus, audacter et constanter clamavit, praedicans, quod eorum cassae forent orationes, et sine fide Christi in aeternum supplicium essent ituri, et quod leges Machometi essent injustae, fraudulentae, phantasticae et falsae. Quo sic praedicante irruerunt in eum Sarraceni et occiderunt. Hunc autem fratrem inter martyres connumerat dominus Antonius in citato loco. Non enim ex ejus superstitione sed ex Spiritu sancti instinctu creditur ingressus fuisse. Si quis etiam zelo indiscreto aut iracundia motus intraret et contra eos clamaret, et occideretur, praesumtuosus magis quam martyr judicaretur. Sic contigit quibusdam graecis Christianis, quorum duo ante paucos annos in Jerusalem ingressi sunt cum magna furia templum, et libris eorum arreptis eos laceraverunt et suppeditaverunt, dicentes, omnia esse conficta et falsa; quos statim comprehendenterunt et crudeli tormento consummaverunt per medium eos secantes.

Tertio, an Christianus sine peccato possit muscheam intrare et contumeliam, derisionem et truffam aliquam facere; libros vel fenestras vel lampades destruere, lutum aut stercora ponere. Videtur, quod, salvo judicio meliori, non sit licitum, quia tales maledictiones et irrisiones non videntur ex caritate procedere, sed potius ex ira, displicentia, livore, vel ex superbia, nec honor Dei in talibus factis crescit, sed blasphemia in Christum et inimicitia in fideles concitatur et nulla in eis emendatio sequitur, et ita sine fructu mortis periculo se exponunt. Existimant autem simplices, obsequium se praebere Deo, quum aliquam arrogant truffam

15 *

